

VK
1029



H

D

FI

147



Vk
1029

DE
ORIGINE AC INDOLE
HOMINVM PROPRIORVM
INPRIMIS IN VTRAQVE LVSATIA

DISSERIT

ET

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

DISPVATIONES SVPER THESISIBVS
INSTITVENDAS



INDICIT

FERDINANDVS GOTTHELF FLECK

IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.




Handwritten signature

141, 29.

2757





Quanquam antiquissimis temporibus apud Germanos homines et
 liberos, et seruilis conditionis extitisse, neminem facile puto,
 qui dubitet, aut ignoret, vilo tamen idoneo argumento hominum
 priorum, quorum haud raro in quibusdam imperii Romano Ger-
 manici prouinciis supersunt reliquiae, originem inde repetendam esse
 nego. Ait quidem *Iulius Caesar* ¹⁾ in omni Gallia eorum hominum,
 qui in aliquo fuerunt munere atque honore, genera fuisse duo, Dru-
 idum nempe et equitum, plebem autem pene seruorum habitam loco,
 quae per se nihil audebat, et nulli adhibebatur consilio; eodemque
 teste edocemur, Gallis cognitam fuisse pactitiam seruitutem, si qui-
 dem tributorum magnitudine aut aere alieno, aut potentiorum iniuria
 oppressi sese in seruitutem addicebant; nec obscura sunt, quae *Tacitus*
 aliique memoriae prodiderunt, alea victos voluntariam seruitutem
 subiisse ²⁾ et bello captos, seruos effectos, sicut *Variana* clade, quam
 multos splendidissime natos, senatorum per militiam auspicantes gra-
 dum fortunam depressisse, et alium ex illis pastorem, alium fecisse
 eustodem casae legimus ³⁾ qua de causa *Tacitus* ⁴⁾ refert, sub Clau-
 dio imperatore Cattis a L. Pomponio profligatis, inde auctam maxime
 laetitiam, quod Romani quosdam e clade *Variana* a Germanis captos
 post quadagesimum annum seruitio exemissent. Seruorum vero Ta-
 citi

A 2

1) *Iul. Caes. de B. G. l. VI. c. 13.*

2) *Tacit. de morib. Germ. c. 24.*

3) *L. Annaeus. Senec. ep. 47. c. 27.*

4) *Tacit. ann. l. XII. c. 27.*

citi tempore conditionem si intuemur, eandem neque cum seruis Romanis, neque cum hominibus propriis conspicuam esse, sua sponte intelligitur. Id enim genus Germanis proprium ac peculiare fuit, nostris rusticis haud absurdum, quo illi seruos quosdam agris adscripserunt et certum modum pecoris et frumenti iniunxerunt; cetera his ipsis ut essent⁵⁾ et acquirerentur, permiserunt, tamen non dubium, quin haud pauci familiae ministerio admoti fuerint, quorum conditio, si verum est, quod nemo dubitat, ministeria familiae ex pecuaria, agricultura et venatione constituisse, non multum ab ea, quae reliquorum seruorum erat, abhorruisse videtur. Inde ab aetate Taciti, usque ad aevum, quo Francorum nomen efflorescere coepit, nihil quoad seruorum statum innouatum fuit. Verum enim vero crescente in dies Francorum potentia, uti seruorum multitudo, ita et eorundem varietas creuit⁶⁾. Attamen plane diuersum fuisse seruorum originis Germanicae et captiuorum, quos seruituti mancipare solebant⁷⁾, conditionem, mihi certissime persuasum est. Serui enim originarii mitiores habiti; sed singula quaeque durissima omnino iura, quibus domini

in

5) *Tacit. de morib. Germ.* c. 23.

6) Servi enim in varias species distincti leguntur, inprimis in fiscalinos s. regios, ecclesiasticos et priuatorum seu beneficiarios. Cf. *Decretio Childeberti de ao. 595. c. 13. ap. Steph. Baluz. Capitular. T. I. p. 20. Potgiess. de statu seruor. l. I. c. 4. §. 4.* Adhuc diuisi in casatos seu casales incolas, et non casatos seu ministeriales, indeque Gafudos dictos, quandoquidem Francorum aeuo ministeria domestica non quidem inuenta, certe tamen gliscente luxu numerosiora

esse coeperunt, nouisque forte incognitis ante generibus aucta. Cf. *Chart. diuis. imper. Ludov. Pii de ao. 837. c. 7. ap. Baluz. T. I. p. 637.* De variis nominibus, quae seruis imposita vide *Potgiess. l. c. l. I. c. 4.*

7) Sic Chlodoneus Alemannos bello subactos grauissimo seruitutis iugo subiecit. Cf. *Lebmann. chron. spir. t. 2. c. 20.* Carolus M. ex Saxonibus deuictis multos in Galliam et Belgiam compulit, multos reliquit quidem sed seruili conditione affectos.

in seruos vsi sunt, ius velut reuersionis, cum Germani capti ab aliis eadem duritie haberentur, expressit, atque hinc facili negotio ratio elici potest, cur adeo apud Francos praeter ius operas et censum a seruis exigendi⁸⁾ ius coercendi⁹⁾ occidendi¹⁰⁾ alienandi¹¹⁾ vindicandi¹²⁾ aliaque fuerint cognita ac vsitata, donec lege publica limitata et occidenti seruum poenitentia ecclesiastica imposita. Eadem instituta aliis quoque populis a Francis postea deuictis propria fuisse censeo. Namque procul dubio seruos originarios separatos habuerunt a captiuis, quos bellis plerumque multoties iteratis aut Romanorum aut Francorum exemplo excitati in seruitutem magna sensim sensimque asperitate adauctam deduxerunt, tamen non negandum, ipsos postea Francis subiectos propria instituta et separatam imperii formulam et autonomiam haud raro retinuisse. Hominum vero priorum tantum abest, ut hisce temporibus vlla appareant vestigia, ut potius extincta demum Carolidarum gente, simulque finita Germanorum cum Francis coniunctione eorum in Slauorum subactione quaerenda sit origo. Postquam enim complures Germaniae populi, praecipue, Vandali, Sueui, Quadi, Marcomanni, Burgundiones et Longobardi citatis agminibus, veterum Cimbrorum et Teutonum in modum, in terras alienas Romanas aliasque abierant, nouasque ibi sedes sibi constituerant, factum est seculo quinto et sexto, ut his expeditionibus incolarum numero exhaustas fere, siue rarius habitatas Germaniae regiones Slau¹⁾ gens Sarmatarum ex Lithuania, Liuania, Prussia,

A 3

aliis-

8) *Capitular. l. II. c. 41. et 44.*
Goldast. Script. rer. Alem. T. II. charz.
41. 42. p. 38.

9) *Capitular. l. VI. c. 11.*

10) *Gregor. Turon. Histor. Fran-*
cor. l. V. c. 3.

11) *Capul. l. V. c. 358. et 362.*

12) *Marculf. append. form. 6. Lex*
Ripuar. Tir. 58. § 5. Capit. l. III
c. 43.

1) Slavi haud dubie a Slaua, Sarmatica voce, quae samam gloriamque designat, appellati; postea vero ob Slauorum captiuorum duraque seruitute

aliisque terris, longe lateque propagatis coloniis ad Oderam primum, hinc ad Albim et vniuersam maris Baltici oram se diffunderent, e quibus maxime Moravi, Bohemi, Vilzi, Obotriti, Sorabi, Venedi innotuerunt²⁾. Stabilis sedibus in vicinas regni Francici prouincias excursiones facere easque deuastare aliisque modis affligere coeperunt; saepe tamen repressi et maxime a Carolo M. in obsequio retenti. His quidem temporibus Slaui nondum homines proprii extiterunt, etsi quosdam captiuitate seruos effectos esse non ambigendum. At Carolingis extinctis, cum re sua parum contenti, veteri more vicinas prouincias popularentur, bello petiti, saepius profligati, magno numero capti, militibus distributi; deinde maximam partem sedibus suis auulsi, in captiuitatem abducti et in varias Germaniae prouincias dispersi, ibique sub seruitutis iugum missi ac fundis adscripti fuerunt. Victicia inprimis arma tulerunt Henricus I. et Otto M. Ille enim non tantum Slauium Heuellorum regione potitus est, et Dalemencios subiecit, verum etiam tributo Bohemis imposto Slauos Rhetarios vna cum sociis Obotritis, Vilzis, Hevellis aliisque coercuit, adeo vt CXX. hostium millia occisa, octingenti vero capti annalibus referantur, ac multi in alias Germaniae regiones translati, ibidemque agris colendis seruili conditione adscripti³⁾. Id quoque fatum fuit Slauium, maxime eorum, qui Lusatiam tenebant, imperante Ottone M. Et enim Gero, Marchio constitutus, Slauos, qui dicuntur Lusci, deuictos ad durissimam coegit seruitutem, agris et fundis inter milites suos, qui ex nobilitate Saxonica potissimum erant, distributis⁴⁾. In eadem

virtu-

tute oppressorum conditionem hoc nomen gentis vile mancipium denotauit. *Potzgieff. l. c. l. l. c. 4. §. 92.*

2) *Potzgieff. c. l. l. l. c. 4. §. 92.*

3) *Wirichind. ann. l. I. ap. Meibom. T. I. script. rer. Germ. Dishmar.*

Merseb. l. I. ap. Leibniz. script. rer. Brunsvic. T. I. p. 324. 326. Helmold. Chron. Slav. l. I. c. 12. 14. 15 et 26.

4) *Wirichind. l. III. ap. Meibom.*

T. I. script. rer. Germ. p. 660. Goldast de regno Bohem. l. i. c. 16. Hoffmann script.

virtute aduersus Slauos persisterunt Otto II. 5) Otto III. 6) Henricus II. 7) Conradus II. 8) Henricus III. 9) Henricus IV. 10) Henricus V. et Conradus III. 11) inprimis vero Fridericus I. Hoc enim imperatore, cum denuo Slaui magnos motus concitarent consilium captum est, eos toties rebelles, et Christiana sacra saepius abnegantes: penitus conterendi. Hinc ao. MCLXIII. Henricus Leo dux Saxoniae Slauos occidentales bello persecutus est, idque prosperrimo euentu gessit: Albertus Vrsus autem, Marchio Brandenburgicus, in Orientalem Slaviam

scripsit. rer. Lusatic. Th. Crugeri, originis Lusatae complexae historiam Geroni primi Lusatae infer. Marchionis 1726. 4. Pars quidem deuictorum in agris relicta est, ac non nisi sub conditione seruitutis et variorum censuum operarumue. Atque ex his supersunt glebae adscripti in Lusatia, qui ea conditione praedia possident, ut dominis seruitia et annuos census exhibeant, neque illa his inuitis derelinquant, tributa dominis eos vindicandi et ad fundos retrahendi facultate. Cf. Io. Tob. Richter diff. de iure singular. Lusar. super. homines proprios manumissos vindicandi. Lips. 1749. Ceterum adhuc lingua vestitu et moribus a reliquis Lusatae incolis discernuntur. Quamquam igitur Schaeberus in diff. de hominibus glebae adscriptis Lusatae superioris §. 3. glebae adscriptos certum ex Slavicae modogenis reliquis constat subditorum genus nominat, monet tamen Ill. Ge. Steph. Wiesend. diff. de ortu et pro-

gressu seruitutis secundum ius naturale et civile (Lips. 1762.) c. 3. n. 2. subditos Lusatae superioris, etsi sunt vel Venedicae vel Germanicae originis, vnius tamen generis et sortis esse dicendos. Sunt enim commixti quandoque homines originis Germanicae, quod indevenit, quia ingenui agriculturae interdum adhibiti, coloni constituti, pactoque proprii facti.

5) *Dithmar. l. III. ap. Leibn. p. 346.*

6) *Idem l. IV. ap. Leibn. p. 349. 351.*

7) *Idem lib. V. ap. Leibn. p. 372. 373.*

8) *Helmold. Chron. Slav. l. I. c. 19.*

9) *Hermannus Contractus ad an. 1041. et 1045. in maxima veterum patrum Biblioth. T. 18. p. 386.*

10) *Lombert. Schaffnaburg. ad an. 1096.*

11) *Alberic. ad an. 1143.*

viam, Marchiam nempe Brandenburgicam et Lusatiam incursionem fecit, et refractarios seruituti mancipavit¹²⁾).

Hac quidem aetate verisimile est, e Slaus deuictis homines proprios effectos, idque nomen iis impositum, partim quia capti saepe diuisi dominisque priuatis addicti fuerunt, vt tanquam proprii eo magis in officio continerentur, partim vt inter seruos originis Germanicae et hosce nouiter ortos, discrimen, quod reuera intercedebat, eo certius appareret¹⁾). Quanquam post aeuum regum carolingicorum, communionem cum Romanis, quorum ad exemplum iure forte retorsionis ille seruitutis rigor introductus erat, cessante, et Clericis seruitutem almae religionis Christianae praecipis parum conuenire pronunciantibus, pristinae seruitutis facies valde immutata, et ad temperatos moderatosque, eosque fere reuocata mores, quos Germani semper in seruis originariis conseruasse videntur, indeque effectum est, vt sola operarum et census consueti praestatione retenta seculo X. et XI. serui e manu dimitterentur²⁾); Germani tamen Slaus tam saepe perfidos et rebelles hac miti sorte vti noluerunt, sed grauissimo seruitio subiugarunt. Itaque cum seruorum conditio istius aeni talis non esset, qualis imponebatur Slaus superatis, hos solummodo hominum propriorum nomine venire crediderim; id quod tanto certius affirmandum esse arbitror, quanto magis liquet, homines proprios in iis tantum locis reperiiri, quae vel olim Slaus inhabitauerunt vel in quae deuicti ab ipsis imperatoribus translati sunt, neque vllibi istud vocabulum de seruis Germanorum vsurpatur³⁾. Attamen non diu dominica, quam

12) *Helmold. Chron. Slav. l. I. c. 88. l. II. c. 5.*

1) *Postgicff. l. c. l. I. c. 4. §. 57. Hertius diss. de homin. propr. Sect. I. §. 1.*

2) Capto ab Henrico Aucupe ad coercendas hostium vastationes, vr-

bium munitarum condendarum consilio, eum in finem multi quoque serui manumissi. *Witichind. in Ann. l. I. ap. Meibom. script. rer. Germ. T. I. p. 639.*

3) Sub Henr. VI. et Ott. IV. denominatione instrumentis publicis infer-

domini in homines proprios exercuerunt, potestas mansit. Haec enim expeditionibus, quas vocant cruciatis in terram sanctam vehementer imminuta, cum plurima feuda a nobilibus ob easdem expeditiones clericis et monasteriorum ordinibus collata fuisse, et ab eo tempore feuda ecclesiastica originem traxisse verisimile videatur. Mutatis igitur feudis, quae ab initio militaria erant, ecclesiastica fiebant, accessit, ut ipsa dominica potestas mutaretur, et in iurisdictionem, quae postea patrimonialis vocata, abiret. Ab eo enim tempore frequentiores cognoscuntur manumissiones seruorum a Clericis factae, seruitutem pariter ac herilem potestatem Christianae religioni repugnare existimantibus. Quo Clericorum exemplo adducti alii feudorum possessores seruitutem et dominicam potestatem exterminarunt, ita ut ab iis temporibus haud dubie repetenda sit iurisdictionis patrimonialis origo ⁴⁾. Quae vero seculis XV, et XVI. mutationes sunt infecutae milite perpetuo potissimum introducto ⁵⁾ fusius exponere instituti ratio parum desiderat. Ex his quae iamiam pertractauimus indolem hominum priorum delineare lubet. Certum est ac indubitatum, ipsa experientia teste, nimium variare et prouinciarum et pagorum, quibus aut

ta legitur. Cf. *Constitutio Henrici VI. ibi „irre eyigenen Lute, die iegenote in die Srette gezogen sind“ ap. Wencker. in collect. iur. publ. in' disquisit. de Vfsburgeris p. 12. 13. et Testamentum Ort. IV. ap. Meibom. script. rer. Germ. T. III. p. 140.*

4) *Herm. Conring. diss. de iudic. ver. reip. Germ. ait, reges, duces, episcopos et comites ipsos particulas gouarum suarum aliis atque aliis vrbibus aut populi nobilioribus familiis, imo et plebeiis tradidisse, partim pignore*

partim feudi iure partim dono, partim variis modis seculo maxime XIII. Accedit *Io. Nis. Hertius de leg. et iudic. Germ. reip. §. 22. T. II. opusc. p. 449. Heinec. de origine atque ind. iurisd. patrim. originem in antiqua illa dominorum in seruos et homines proprios potestate quaerit. At vero potius sublata seruitute successit iurisdicatio patrimonialis.*

5) *Selchov. elem. iur. Germ. priv. hodierni. §. 221. p. 251.*

aut pristina quam Slavi deuicti sobierunt, misella ad hunc vsque diem perfluit seruitus, aut eius saltem seruata sunt vestigia, mores ac consuetudines. Quamobrem iure meritoque explodenda est eorum opinio, qui plane vbique homines proprios seruis Romanorum comparare non dubitarunt⁶⁾ neque difficultatibus inde natis medicinam attulit, quae aliis placet distinctio⁷⁾ illos scilicet propter iuris ciuilis communio- nem, patriam potestatem, testandi, contrahendi, et litigandi faculta- tem aliaque iura hominibus propriis competentia, liberorum numero quoad personam recte ponendos, sed propter ius reale dominis tribu- tum, ita vt alienari, discedentes e fundo vindicari, manumitti queant, quoad actiones seruilis conditionis habendos esse. Verum enim vero liberi homines ii appellari nequeunt, qui reuera in dominio existunt⁸⁾ nec patriae potestatis, connubii aliaque iura plenam libertatem com- probant, cum libertatis pariter ac seruitutis statui possint acce- dere, nec argumenta a seruis Romanis quoad actiones petita facile applicari ad homines proprios. Eodem modo egregie fallunter qui humanitatis magis, quam veritatis specie incitati, illos liberis personis prorsus accassent⁹⁾ aut in censum glebae adscriptorum aut coloni- rum Romanorum reuocant¹⁰⁾. Meliori iure eorum opinioni")

sub-

6) *Lauterbach. colleg. theor. pract. tit. de statu homin. §. 13. Husanus tr. de hominibus propriis c. 2. n. 37. Donell. comm. iur. civ. l. II. c. 9.*

7) *Aug. de Balhasar. tr. de homi- nibus propriis eorum natura ac indole p. 3 c. 1. §. 14. P. I. c. 2. §. 11. p. 2. c. 3. §. 16. P. 3. c. 2. Sect. I. es II. Io. Ge. Estor spec. de homin. propr. in Germ. (Vol. 2. p. 3. p. 126. der auser- lesenen kleinen Schriften).*

8) *Car. Aug. Schloockwerder obs. iur. Rom. et Germ. in doctr. de seruis §. 8. Lips. 1765.*

9) *Luder Mecken Tract. synops. Instir. iur. Justin. l. I. tit. 8. §. 3.*

10) *Petr. Gudelin. tr. de iure nouis- simo l. I. c. 3. Io. Ernest. van der Lin- de de vindic. homin. propr. c. 1. n. 4. Berger oecon. iur. l. I tit. 2. §. 18.*

11) *Io. Steph. Putter. elem. iur. Germ. prio. tit. de hominibus propr. §. 447. p. 146.*

subscribendum foret; qui hominum propriorum conditionem antiquae Germanicae seruitutis speciem fuisse adeoque tantum ex antiquo patrio iure illos aestimandos esse arbitrantur, nisi ex his quae antea tradita, contrarii probatio luculenter appareret. Quod vero ab aliis dictum, homines proprios Germanorum principum aut nobilium esse seruos anonymos nec adscriptitios, nec colonos nec capite censos, nec statu liberos, de omnium tamen natura aliquid participantes, nimis vage prolatum, et ad eruendam seruitutis vim parum idoneum. Quae cum ita sint, iam videamus age, quaenam sit vera indoles ac natura hominum propriorum. Quanquam eos seruos esse, cum alienari, vindicari manumittique possint, extra omnem dubitationis aleam positum est, eos tamen, cum patriae potestatis, connubii, testamenti factionis capaces sint ac habeantur, seruis Romanis equiparari non posse statuo. Nam Slavi deuicti, ne facile denuo se coniungerent, nouosque motus efficerent, dominis velut in proprietatem dati, vt non tantum corpore ad operas et praestationes tenerentur, sed et statum in seculo aut inuito domino vlla ratione mutare aut corpore bonisue in alium locum emigrare non possent; neque alia ac diuersa est hominum propriorum vtriusque Lusatiae indoles, siquidem corpore domino ita obstricti sunt, vt operas plerumque indeterminatas praestare, praetereaue tanquam pars glebae seu pagi, in quo vel nati vel alio modo proprii facti, ibidem permanere debeant, neque inuito domino domicilium pro lubitu sibi constituere possint¹²⁾. Tenentur vero homines proprii ad operas et praestationes et quidem diuersimode, prout initio vel seruitutis ruralibus onerati, vel soli arbitrio domini, iis vtendi, re-

B 2

licti,

12) Cf. *Oberlausf. Unterrbanen Ordnung* de ao. 1682. in corp. iur. Lusat. super. p. 381. et in *Cod. Aug. P. III. p. 211. Niederlausf. Landes Ordu.* de ao. 1651. in *Cod. Aug. p. III. p. 450. Erläut. Mand. d. a. 1750.* in *Cont. Cod. Aug. p. III. p. 356. Iulii Sidoronii (Loescheri) Anmerk. über die Niederlausf. Landes Ordu.* Lubben 1721. 4. *Nachrichten von der Beschaffenheit der Niederlausf.* 1 St. Pfoerth. 1760.

licti, adeoque alios agris adscriptos alios absque praedii cuiusdam possessione ministeria dominis praestantes nonnunquam hodiernum deprehendi, non est, quod mireris. Iuris Romani, cuius quanquam auctoritatem comiter veneror, neque usum analogicum penitus reprobare ausim, eatenus tamen exiguam vim esse arbitror, quatenus principia de seruis qua seruis Romanis tradit¹⁾. Varias hominum propriorum species et nomina iamiam non attinet latius pertractare, siquidem plurimari cupientes, optimos inter alios magistros habebunt *Pfessingerum et Pottgiefferum*²⁾. Attamen lectu haud iniucundam, et ab aliis, quantum equidem scio, nondum tractatam seruitutis speciem breui examinare iuuat. Per singulos pagos dynastiae Sorauiensis in Lusatia inferiori sitae, quae cum iam ante Serenissimum Electorem Saxoniae, patrem patriae, venerata esset principem et Marchionem, non multis abhinc annis extincta gente comitum a Promnitz nacta quoque est dynastiam, dispersi reperiuntur homines proprii *Tieglitzer* appellati. Quorum quidem nomen quamuis sunt, qui a seditionis cuiusdam stimulatore et concitatore, ita nominato deriuare, ipsosque seditiosos ac turbulentos debellatos et in hanc seruitutis speciem redactos fuisse opinentur, rerum tamen gestarum monumentis nec seditionis a singulis concitatae, nec illius criminis auctoris mentio iniicitur. Quamobrem non improbabili coniectura inferendum, illud nomen a lingua Venedica, qua *Tieglitza* auem alueariis noxiam, apibus inhiantem easque vorantem denotat, lingua vernacula *die kleine Meisse* dictam, descendere, adeoque cidelarios seu mellicidas, quippe quibus id negotii impositum, vt custodiam curamque apum haberent, *Tieglitzer* appellatos esse;

1) Iust. Henn. Boeumer. de iure et leute qu. i. n. 7. Chr. Henr. Sencken-
 statu hominum propr. (T. I. exercit. berg diss. de seruorum conditione, Gies-
 ad n. n. 18.) sect. 2 §. 1. seqq. Ge. Ludov. 1742.
 Boeumer. praef. ad Tom. I. exercit. sui 2) Pfessing. Virr. illustr. l. I. Tit.
 Pareus p. 18. seqq. Dav. Mevii tr. 22. §. 1. Tom. II. p. 962. seqq. Pottgieff.
 vom Zustand u. Abforderung der Bauers- de statu seruor. l. I. c. 4.

esse; ex quo vero id feruitiorum genus exoleuit, dominos illius loco censum, qui *der Tieglitzer Zins seu Honig-Zins*, audit, imperasse; quem quidem quinque grossorum et sex numulorum summam constituentem ad hunc vsque diem masculi aut initis nuptiis aut saltem completo aetatis anno vicesimo quarto quotannis illo Iouis Die, qui Burckhard nominali sequitur, praestare tenentur. Ceterum obligationes, quibus suo corpore obstringuntur, iuraque domini in tabulis publicis¹⁾ dynstiae Sorauiensis maximam partem cognoscuntur. Tribuitur vero domino protimis ratione operarum a liberis eorum aliis locandarum, neq̄i, qui hanc conditionem subierunt, aliud domicilium aliasue sedes petere possunt. Verba eorum, quae census operarum et successionis ergo deicta reperi²⁾ subiungere placet: *Von Sr. Reichsgräfl. Gnaden wird hienit Supplicanten, den Leibeigenen des wendischen Kraises auf ihr unteränigstes Ansuchen diese Resolution ertheilet, dasz zwar die Wittwer ein als den andern Weg ihren Hauptzins gebührlich entrichten; die Jüglinge aber, so noch unverheurathet, bis sie 24 Jahr ihres Alters vondet, damit verschonet; hernachmals aber gleich andern, welche im Estande leben, solchen unweigerlich abgeben sollen. Ihre Kinder, die selber zur Fortstellung ihrer Wirthschaft und Nahrung unumgänglich berusen, werden ihnen billig gelassen und zu Sr. Hochgräflichen Gnaden Disten nicht gebrauchet; die übrigen aber müssen der Herrschaft in allWege, weil sich auch die freyen dessen nicht zu entbrechen, vor allen arn dienen, und damit bemeldete Leibeigene desto eher Gelegenheit zu herthen erlangen möchten, verordnen Sr. hochgräflichen Gnaden, Kraft die gnädiglich, dasz wenn ein Leibeigener ohne Söhne verstürbet, die Töer desselben Erbschaft eben sowohl als die Söhne empfangen und bekolen sollen.* Formula affrancamenti seu litterarum dimissoriarum

B 3

haec

Cf. *Amshandelsbuch* d. a. 1654. fol. 4. et *Recessbuch* fol. 338.

4) Cf. *Amshandelsbuch* de 30. 1645. fol. 464. If. *Protoc.* d. a. 1649. fol. 441.

haec esse solet: *Wir Erdmann d. h. r. R. Graf von Promnitz etc. urkunden hiermit vor männlichen, welchergestalt Vorzeiger dieses N un- ser Leibeigener und Tieglitzer in unsern Cammer-Dorfe Syrau geboren, in Unterthänigkeit uns angegangen, ihn und die Seinigen dieser uns un- sern Maiorats und folgenden Successoren zugethanen Leibeigenschaft in Gnaden frei, quitt und los zu lassen, damit er bei Zünften und Ge- meinden solcherwegen keinen Anstos haben, wohl aber als ein von der Leibeigenschaft Befreyter aller Orten gelitten und geduldet werden möge. Welchem unterthänigsten Gesuche wir in Gnaden deferirt, und usern Unterthan samt den Seinigen diesen Befreyungs-Brief zu seiner Ir- schierung unter unserer Unterschrift und angebohrnen Signet habens- fertigen lassen. Sorau den 22 Nov. 1736.*

Sed quorsum haec omnia? Scilicet iis, qui disputationes Iper thesibus, vt aiunt, iuris controuersi, instituendas moderari cupiunt ea lex ab illustri Ictorum Ordine est scripta, vt specimine quodam am sibi pararent. Cui vt ipse quoque, precibus quorundam iuuum solidioris iurisprudentiae cultorum, qui propediem me praesi in publicum prodire et studiorum rationes reddere, apud animum on- stituerunt, commotus, satisfacerem, hoc scripto certamina supehe- sibus instituenda dirigendi veniam impetraui. Sunt vero, qui non apud me iam professi sunt, iuuenes Humanissimi ac Doctissimi:

CAROLVS THEODORVS GVTIAHR,

SORAVIA - LV SATVS.

IOANNES SAMVEL HORSTIG,

GVBENA - LV SATVS.

HENRICVS GOTTLOB IOST;

SCHMANNEVITIO - MISNICVS.

CAROLVS AVGVSTVS KESSLER;

KEYLA - SCHWARZBURGENSIS.

ClO.

CAROLVS CHRISTOPHORVS THAERIGEN,

ROITZSCHENSIS-SAXO.

CHRISTIANVS FERDINANDVS VLRICI

PFÖERTHENA - LVSATVS.

quorum certaminibus super controuerfis iuris capitibus non solum
praetor, sed iis etiam, qui in posterum me duce et auspice in publi-
cum prodire cupient, promptum me fore paratumque polliceor.

Scribeb. a. d. XIII. Septembr. A. R. S. MDCCXCII.

LIPSAE

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

74. 1029 84

XV

CAROLVS CHRISTOPHORVS THERIGER

CHRISTIANVS HENRICVS VIRICI

PROSTREMA - 1729

(X 262 1079)

Scilicet A. d. 1729 die 10. Mensis Martii

LIBRARI

IN CURIA ELECTORALI





Vk
1029

DE
ORIGINE AC INDOLE
HOMINVM PROPRIORVM
INPRIMIS IN VTRAQVE LVSATIA

DISSERIT

ET


ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

AVCTORITATE

DISPVATIONES SVPER THESISIBVS
INSTITVENDAS

INDICIT

FERDINANDVS GOTTHELF FLECK
IVRIS VTRIVSQVE DOCTOR.



Handwritten signature

14, 29.

2757

